



* * * * *

ET si doctrina de illuminatione per omnes mundi aetates in ecclesia fuerit proposita, numquam tamen tanto cum ardore, quo recentissimis temporibus, eam pertractatam nouimus. Diuinae hoc omnino referendum est prouidentiae, quae mala, coetui fidelium astu diaboli, & malitia hominum intentata, adeo clementer dirigit, ut haud raro maxima inde redundent commoda. Excitantur in eiusmodi tempestatibus theologorum studia, ut, de quibus antea vel plane non cogitauerant, aut ad minimum non aequae solliciti fuerant, omni mentis indagine perquirant. Videntur quidem primo intuitu eiusmodi certamina, quae dissentientes inter agitantur, animarum suarum aedificationem quaerentibus plus obesse, quam prodesse; unde & plerumque in fide infirmiores dolendo, ac ingemiscendo spectatores eorumdem sunt minus contenti. Verum, quibus pectora sunt validiora, partim ex ipsis sacris litteris, partim ex omnium saeculorum historia, & propria experientia edocti, aliter iudicant, & vitiis dimicantium sepositis, diuinam admirantur sapientiam, quae clariori subinde luce suam collustrat atque irradiat ecclesiam. Hoc ut allegata de illuminatione materia, quoad vniuersam suam amplitudinem, euictum detur, praesentis instituti ratio nequaquam permittit; spero tamen, ingenuum lectorem adsertis meis fidem habiturum esse, si vel vnicam istam quaestionem, de *illuminationis gratiosa subiecto*,